

FA. 131.101

Index

Lectiones di. Monsig. Carlo Maurino de Polier & abun Abbate Francese
dimoranti in Roma sopra le differenze delle Teologie di Giandrea
e sopra l'ultima Dichiarazione presentata al S. Ufficio da Mons.
Kannibel Douore in Teologia e Dottore dell'Universita di Louanio
appresso la S. Sede

Reflessioni sacrate sopra la lettera d'un cattolico Romano ad uno de suoi
Parigi in Italia circa lo stato presente della Chiesa Romana in
Italia

Thesij. V. Historico-Theologicae Censurae Louaniensis Douina de gratia
per se officii et diuinae Medicinae & defuncti et Cornelio Jansoni, Ne-
sede Ioanna Libero Hannabel

Proposio. V. Cornelij Jansani Ep. Ipsensij Thesij. V. proposio. V. Jansani
Ivanij. Pariter per Ioannem & Muratum

Resolutio altera S. Facultatis Theologicae Louaniensis ad Quaesitio-
nes de Dogmatibus et dictatae undecim de sum. pte.

Epistola theologica ad Ambrorum et Dubisipensium Resolutionem de qua
ipsi quidam existimari uolunt Facultatis Louaniensis Respon-
sio quaedam Ignorantia

Edictario marni Magi de Jansij Vicarij S. J. Aptici Silue Douarij super
hodierno negotio Formularij &

Thesij Historico-Theologicae Louaniensis cum Thesij. V. conuicti ad circa
necessitatem gratiae per se officij in statu naturae lapsae de fo-
sede Ioanna Cachet. P. 10. Libera Hannabel

Responso ad D. D. Jansij Thesij. V. Jansij et Martinij Douarij at-
testantes auctoribus Douarij Thesij. V. Jansij

Louy Coniitij Fridannini de laborioso Baptismo Socii: 17 C. a. Vindictam a So:
Opswaert conuictio thesis magi Marini Stejaert. Auctoris Collationum de Amo-
re predominante contra eosdem

Anti-thesis inter doctrinam eximiorum querendam e. S. Pauli Louanien-
si Doctorum de raritate conuersionis per opera et doctrinam Marini Ste-
jaert de conuersione repentina sine operibus

Immanis Calumniae quae datur Marini Stejaert Praesidis Thesi de iustifica-
tione peccatorij 13 Junij 1693 coram indigni Theologorum multitudinem de
infando crimine flagellationis superari reddidit ut quibus Regis iustitiam appel-
lari

Imperinens Stejaertianus de mala fide, calumnia et falsitate conuictum per
M. Louaniensem Theologum

Strones sine Supplementum operij S. Nihil pro argumento Nichiti contra opera
preparatoria nuper editi cum censura M. Stejaert V. A. S.

Difficultates breues propositae D. Martino Stejaert super declaratione mentis suae
contra doctrinam de raritate conuersionis quam se apud S. Sedam accusare
profiteretur, ubi et diuini doctrinae eius de conuersione repentinae

Difficultates breues conuincere aduersus Thesim de iustificatione peccatorij
defendendam 13 Junij 1693 Praeside D. Martino Stejaert

Osseruationi d. un. Professore de Filosofia sopra le lettere scritte da un Paolo-
go Fiammango al Vescouo di Tornaij

Expositio quinque articulorum Opo Conuersionum oblatam discipulo S. Augu-
stini pro pace Recte seruanda anno 1665 Auctore Antiocho quos Paulus
Theologicus Louanienis persequi deputatus auctoritate: A. N. i. j. m. l. a. d. j.
item quos obulit Cap. l. a. d. j. anno 1677.

Aricali Theologici quos Facultas Louanensis Innocentio XI transmissit ac obtu-
lit iudicandis, quos idem Sanctissimae Congregationi S. Officii tradidit exami-
nandas, quos ipsi post maturum ac iteratum examen censuerunt sanos et im-
munes ab omni nota anno 1677

Ecclesia Leodiensis Summo Pontifici Innocentio 12 supplicans pro suo Seminario et
dominam S. M. P. Collegij Anglicani Societatis Iesu Denuncians

Eiusdem Ecclesiae Denunciatio altera

Eiusdem Ecclesiae Denunciatio tertia

Eiusdem Ecclesiae Denunciatio quarta, quinta, sexta, septima, octava,
nona, decima, undecima, duodecima, decima tertia, decima quarta,
decima quinta, decima sexta, decima septima

Refutatione Summatorum de Moline, significata à Don
Guilliaume uande Nove Caraco de S. Caterina in Brusella 17 Jul: 1704

Asociate Redemptio...
in indicat...
...

...

...

...

...

...

...

Bibl. Pub. Cantab. Le. M. sup. Mich. 1793
STRENA,

SIVE

12

SUPPLEMENTUM

OPERIS

SANCTI NILI

PRO

ARGUMENTO NIHILI


CONTRA

OPERA PRÆPARATORIA

NUPER EDITI

Cum Censura M. STEYAERT V. A. S.

i 17524891



SUPPLEMENTUM
OPERIS
SANCTI NILI
PRO
ARGUMENTO NIHILI
CONTRA

Opera præparatoria nuper editi per
M. STEYAERT V. A. S,

*Ex S. NILI Abbatis discipuli S.
Chrysofomi Epist. 2. prolixiori
ad Dominum Juniozem, Inter-
prete Petro Possino Societatis Je-
su Presbytero.*

Illa Christi verba derelinquen-
dum ab omnibus se prædican-
tis castitati aptari possunt, qua-
si ea sic alloquatur certantes sui cau-
sâ: Venit hora ut deficiatis à me, ac

solam relinquatis. Facile quippe homo ab honesta & beata vita deficit: addicit se autem pudendæ & turpi operationi. Descendens quidem à Jerusalem in Jericho, in latrones verò incidens, videlicet in corruptores animarum spiritus. Et vestimentis rigiditatis ac sanctitatis exutus, plagis etiam impuritatis ac gravis intemperantiæ acceptis semivivusque relictus coram Deo: quoniam meminisse pœnitentiæ ac mutationem in melius designare, dimidiam adhuc arguit in eo restare vitæ partem. Suo verò tempore rursus ad Plenam & integram referetur vitam, vitam dico perfectam fervoris abundantioris officiis, & studio dignorum pœnitentiæ constantis fructuum edendorum. Tu verò ne committas ut isto unquam *tam acri egeas remedio laboris & pœnitentiæ tam duræ in sacco, in cinere, in discerptione, in planctibus, in amaris gemitibus, qualia sustinent qui breve tempus pœnitentiæ pro fructu voluptatis metunt, & vindemiant miserabiliter.*

S. NILI *Epist. 122 Juliano
Lectori.*

Quidam perfectam & puram pœnitentiam promptis & alacribus animis aggrediuntur, objecto autem impedimento à malignis spiritibus brevem tentandi licentiam nactis citò in tædium vertuntur, lassatique deficiunt, ac desistunt à rectè cœpto certamine; & offensi, quasi deprehensis usu primo vitiis sponsæ quam adama-verant, parvam illam deformem & ut habet Scriptura de Lia, lippam pœnitentiam festinato repudio dimittunt, ac nescii quò malorum ruant, in certum se interitum præcipitant. At at ne divortio absistamus ab infirmos habente oculos Lia & post paulò compotes siemus desideratæ Rachelis sanos & serenos habentis oculos. Rachelis autem symbolo hîc intelligimus perfectam, puram, & inconcusâ firmitate constantem virtutem.

S. NILI *Epist.* 125. *Quinto Sub-*
diacono lapsò.

Bonum fuerat nunquam fœdasse
immaculatam tunicam. Bonum fue-
rat non obduxisse caligine lucis jubar.
Bonum fuerat invulneratum manere,
& non indigere medico. Bonum fue-
rat cor aspersum sanguine Filii Dei &
quasi vestitu roseo gratiæ renidens
non tinxisse luto nefariæ voluptatis.
Postquam autem remisso fervore &
relaxatâ tui custodiâ victus es, & li-
mosi atque acerbi flagitii lubrico in
præceps dejectus, & supplantatus à
diabolo captivus factus es, nunquam
prius opinatus tale quid te passurum,
ne desperes: est enim reditus ad bo-
num per pœnitentiam confugienti
ad Christum benignissimum. *Ac-*
cepta illi & grata solet accidere a-
pologia peccantium quæ per oratio-
nes, jejunia, fletum, confessionem-
que & vigiliis & humicationem
& lamenta, ejusque generis similia
peroratur. Non desperanda ergo tibi
salus

(7)

salus est per misericordiam Christi. Ecce & nunc per Prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, sed conversionem, ad me revertere post peccatum, nunquid qui cadit non adjiciet ut refurgat? Refurgamus igitur.

S. NILI *Epis.* 130. *Chry-*
sippo Curatori.

Necessarium est scire, te adstitū-
rum tribunali terribili, ubi nemo ap-
parebit adjuvans te, aut eripere va-
lens è manu judicis. Ubi vis, gra-
vitas, volubilitas orationis ac lin-
guæ, nihil plane in rei solatium effi-
cere poterit. Ubi nemo advocatus,
nemo patronus, nemo ullius officii,
consilii, aut ministerii cōmmunica-
torem sese offert. Ne igitur neglexe-
ris, neve contempseris, cum per for-
midolosum ignem & æternum tran-
sire habeat anima tua. Sed & pæni-
tentiam age donec habes adhuc spa-
tium & dies vitæ prorogatur tibi. Ap-
plica te cognitioni peccatorum tuo-
rum. *Lacrymis te ipsum prosequere*

uti jam mortuum & in monumento positum, præmitte istum rorem quasi ad refrigerandam illam ardentissimam flammam. Move & effunde fontes lacrymarum. Luge te ipsum bono & salutari luctu, & ut breviter dicam, juxta proportionem peccatorum tuorum sit modus fletuum tuorum.

S. NILI Epist. 142. Macedonio
Diacono.

Os veste contactum habeat qui lepræ compertus est (sic lex sacra jubet) & immundus habeatur omni tempore quo lepra in eo permanferit, sepatatus habitabit extra castra. Sunt qui sine discrimine non dubitant permittere hominibus nondum purgatis labe peccatorum, immo quotidie peccantibus & impugnationibus quotidianis turpium suarum cupiditatum manus facilè dantibus, talibus inquam sunt qui permittunt habere ad alios spirituales scholas, & prodire
ad

ad tradendam doctrinam sacram. At-
 quiecce divina lex ejusmodi ora in-
 suavem & insalubrem halantia spiri-
 tum obtegi obturarique præcipit ,
*quoad conversus aliquando purga-
 verit seipsum qui talis est , laboribus
 magno animo magnaque patientia
 toleratis , durissimo victu cultuque ,
 lacrymarum rivis , longa austerita-
 te & nunquam intermissa humilia-
 tione.* Quoad Christus Dominus om-
 nium super eo misericordia motus
 pronuntiaverit: Dilata os tuum & im-
 plebo illud, non jam ignominia & a-
 bominatione multa, sed suavi odore
 & omni bonitate ad utilitatem tum
 ipsius tui, tum aliorum qui post hæc
 erudientur à te.

S. NILI *Epist.* 238. *Theo-
 etisto Diacono.*

Nos causæ nostri exitii sumus. Si
 autem pænitentiam egerimus, etiam-
 si canes quidam fimus abjecti ad pe-
 des domini, præponemur negligenti-

tibus filiis. Quæcumque enim amicitia non perficit, *ea perficit assiduitas, & gemitus, & oratio contenta ac continuata.*

S. NILI *Epist. 249. Panegyrio Diacono.*

Si cupis ingredi in regnum cælorum, angustias & oppressiones in te attrahe: qui enim non angustiat & oppressus fuerit, nequaquam ingredietur: arcta quippe porta est.

S. NILI *Epist. 250. Leandro Subdiacono.*

Magnam oratio, in iis qui firma fide sunt præditi, vim & robur obtinet: *omnino igitur oportet orare diu noctuque. Non enim facile ac statim cuique fortè primum obvio divinam gratiam largitur dominus, sed iis qui cum labore & sudore indesinenter postulant. Quod si resolvi nos in negligentiam inter orandum sinamus,*
mul-

(II)

multis detrimentis subjacebimus, immo & extremæ perniciæ: & præterquam nihil laude dignum efficiemus, etiam à domino alienabimur, idcirco quod noluerimus intimè ipsi jungi & adhærere per orationem & spem ac laudatissimam perseverantiam.

S. NILI *Epist.* 251. *Dorotheo*
Diacono.

Non est rationi consentaneum ridere, ludere, delectari eum qui peccavit, evagarique passim liberè, securitate, immo temeritate multa. Quem magis decebat dare se luctui, pectusque plangere diu noctuque audientem quid dicat per prophetam Dominus: non exulta neve latare Jerusalem sicut gentes quæ ignorant Deum: fornicata enim es à Domino Deo tuo: quia ex re contraxisti debitum lugendi.

S. NILI *Epist.* 252. *Eudæmoni*
Scholastico.

Interrogasti per litteras quam ob causam multi sæpè qui eadem peccaverant non easdem dederunt pænas? Aio id factum quoniam eximia est exactio judicis accuratissimè illo munere fungentis. In peccatis enim non species solum criminis quæritur; sed præterea, quid mentis quidque propositi habuerit qui peccavit: tum quæ cujusque dignitas, quæ occasio, quis locus, quæ denique radix, quæve origo culpæ totius. Post peccatum autem id spectatur, num facto gavisus an contristatus fuerit: an nullo doloris percussus sensu, an in scele- ris conscientia manserit, an resipuerit seque revocaverit: an impulsu occa- sionis vehementi, an per subreptio- nem subitam, an per fraudem indu- ctus, an deliberatâ malitiâ prudens sciensque ac solens, an per ignoran- tiam peccaverit. Multa præterea sunt
 alia

alia per quorum discussionem exactissimum istud examen ordine vadit. Nam & differentia temporis attenditur, & reipublicæ in qua quis vixerit ratio ac status. Neque enim qui ante legem & post legem & post gratiam idem peccatum peccat, eidem pœnæ subjacebit. *Sed primus quidem levio- rem, alter severiorem. Postremus irrevocabiliter gravissimam. Hæc enim omnia palam & clarè in divi- nis scripturis prædicata sunt.*

S. NILI *Epist.* 305. *Pullioni.*

Quando cogitationibus secundum naturam honestis immoramur, in paradiso sumus liberâ perturbationibus mente orantes, & virtute levati ad supercælestia; quando autem in cogitationes malas projicimur, expellimur divino paradiso, & pelliceas tunicas perturbationum induti ac peccato increassati degravamur. Si vero rursus in sobriam experrecti vigiliam, *per strenuum studium laboris te- nuio-*

nuiorem imminuendo fecerimus illam crassitiem tunicarum, hoc est vitiosarum cupiditatum, sublimes utique feremur, sicut scriptum est: qui natus est ex spiritu spiritus est, ut dicat nobis Apostolus Paulus: Vos autem non estis in carne sed in spiritu, quoniam deposuistis veterem hominem in multis & variis cupiditatibus corruptum, carne enim circumdati non secundum carnis (forte carnem) militatis, sed cælum calcatis mente: vestra enim conversatio in cælis est.

S. NILI *De Oratione Cap. 4.*

Ora, ut lacrymas accipias, ut duritiam animæ tuæ fletu mollias. Et confessus peccata tua Domino, veniam ab eo impetres.

Cap. 5.

Utere lacrymis ad rectè orandum, antequam quicquam petas, oratione enim lacrymantis magnopere Dominus delectatur.

Cap.

Cap. 6.

Si lacrymæ, ceu ex fonte, in oratione tua manarunt, ne te extollas, quasi multis antecellas: missum enim est auxilium orationi tuæ, ut posses promptè peccata tua confiteri, & lacrymis Dominum placare.

S. NILI *Abbatis ad Monachos
institutio.*

Ut servus (forte cervus) in plagas incurrens haud facilè potest ex illis effugere: sic qui in mundo cupiditatibus indulget *difficilè potest se è peccati laqueis explicare. Prava enim cupidines & voluptates catenæ sunt insolubiles.*

S. NILI *Epist. 308. Orestæ Ciliciorum textori.*

Novi aliàs quemdam hominem qui rectà jacto in inimicum lapide à
sco-

scopo aberrans in proprii filii oculum vicino forte loco nihil tale metuentis ictum pertulerit, quo is excæcatus est. Sic nocere alii cupiens sibi perniciem ipsi creavit, justo Dei cuncta videntis judicio. Hæc eo commemorata sunt à me, ut desinas imprecationes ac diras jacere in eos, quos arbitraris inimicos tuos: ne forte in tuam ipsius domum perniciës recidat. Orare siquidem pro inimicis, non autem eos devovere diris jussi sumus

Nota I. juxta sanctum Nilum extra casum necessitatis aut impedimenti aut miraculi ad placandum Deum & ad evadendum interitum, æternum necessariam esse pænitentiam *laboris* & *patientiaë duræ in sacco, in cinere, in discerptione, in planctibus, in amaris fletibus* & *gemitibus diu noctuque, per orationes, jejunia, fletum confessionemque, & vigilias, & humicubationes & lamenta, ejusque generis similia.* Item *laboribus magno animo magnaue patientia tolera-*

ratis, durissimo victu cultuque, lacrymarum rivis, longa austeritate, & nunquam intermissa humiliatone.
An is favet mollioribus Theologis?

Nota 2. in epistola tertia Nili nuper edita cum Censura Stejartii ex Bibliotheca maxima tomo 7. pag. 1188. uti citatur pag. 12. adulteratum esse titulum per insigne artificium & græcam fidem: nam Bibliotheca maxima tom. 7. pag. 1188. hunc titulum habet: *Charicli Presbytero III. (epist.) rigidè agenti cum lapsis & dicenti non sufficere pœnitentiam ad Confessionem*: eadem vero epistola nuper edita illum titulum habet: *Charicli Presbytero rigidè agenti cum lapsis, & dicenti non sufficere confessionem ad pœnitentiam*. Immensum verò differunt: *non sufficere pœnitentiam ad confessionem*, quod falsum est: & *non sufficere confessionem ad pœnitentiam*, quod verissimum est. Sed eæ sunt artes istorum hominum.

Nota 3. S. Nilum in epist. 3. ad

Chariclem Presb. tantum improbare errorem de quo ibidem ait: *ne igitur indoctè dicas: sola & operibus carentia verba pœnitentiæ Deus non recipit*, scilicet ne quidem in casu necessitatis aut impeditenti aut miraculi. Nam errorem illum sic refellit: *qui vero sudores conatusque latronem è cruce in vitam ac paradisum sustulerunt? Profecto nulli, sed pauca dumtaxat verba Christi regnum confitentia.* Hæc argumentatio fuisset ridicula, nisi etiam ad similes casus Charicles necessitatem operum extendisset, quod hodie facit nemo.

Nota 4. S. Nilum sub verbis, quæ censet aliquando sufficere, comprehendere etiam in eadem epistola sequentia: *tristitiam de peccatis conceptam, & pulsationem frontis & percussionem pectoris & genuflexum & manuum extensionem cum labore cordis & oscula peccatricis dominicos lugentis pedes & lamentabilem peccata deplorantem vocem, & suspirium ex profundo tractum & fructum*

*Etum labiorum confitentium nomini
Jesu Christi, & lamentationis qui-
retationem & stillationem lacryma-
rum & cogitationes ejulatum cien-
tes & considerationem cum dolore
clamantem & elevationem oculorum
familiariter ad Deum suspicien-
tium & flentium. Quis hodie ne-
gat hujusmodi S. Nili verba, quorum
multa nobis sunt opera, expiandis
variarum specierum mortalibus suffi-
cere, hoc est satis præparare ad ab-
solutionem?*

Nota 5. eos qui S. Nilo in epist.
ad Chariclem adscribunt generaliter
*sufficientiam confessionis verbalis ad
absolutionem absque laboriosis pœ-
nitentiæ operibus præviis, fingere S.
Nilum seipsis laxiorem; imo sibi ip-
sis verè adversum utpote requirenti-
bus opera prævia absolutioni in pec-
catoribus enormibus & consuetudi-
nariis inveteratis.*

Notet 6. Fabricator *Querelæ popu-
li belgici*, dum in ea iterato S. Nilum
adversus opera præparatoria infelici-
ter

ter objicit, quam iniquè virum innocentem torqueat ad illud dogma quod præcedenti seculo impugnatae fidei defensores unanimiter in hæreticis damnarunt.

Dogma quod Ravestenius in Apologia contra Illyricum de justificatione *impium & blasphemum* vocat, additque, Obsecro te, Christiane lector, quid possit magis impium ac detestandum adferri quam quod labores pænitiæ negentur esse media consequendæ salutis vel ad consequendam salutem planè necessarii.

Dogma de quo Tapperus de satisfactione: *Consideranda est, inquit, absurda Calvinii sententia: non enim sustinet quod precibus, lacrymis, jejuniis & aliis hujusmodi pænitiæ operationibus nos ad Dei gratiam nobis conciliandam præparemus, & putat hæc adversari gratuita peccatorum remissioni &c.*

Dogma de quo Joannes à Daven-
tria in art. 4. Confessionis Augustanae: *Si vero istud problema intelli-*
gunt

gunt Lutherani ut ad peccatorum remissionem nostrique justificationem nihil faciant orthodoxorum bona opera, neque necessaria sint, errant (quod dici solet) toto cælo, struuntque rudi plebeculæ laqueum, quo in suum ipsorum pertrahantur interitum adeo occultum ut haud facile vitari possit. Similiter idem dogma tamquam hæreticum damnat cum catholicis Estius in Isaia cap. 43.

Oppositum verò illius dogmatis Petrus Soto refert ad confessionem catholicam in refutatione confessionis Wittenbergensis, & post eum Lindanus in Apologetico, & definitum illud esse in Tridentino ait Haræus in cap. 43. Isaia. *Id nimirum, ait Bellarminus lib. 2. de pœnitentia cap. 18. Lutherani audire cupiunt, pœnitentiam agi suaviter dormiendo ac potando.*

Sane Fabricatori Querelæ Belgicæ multo magis salutare foret meditari serio supradicta & S. Nili librum asceticum de officiis eremitarum ejusque

que Epistolam 75. ad Niconem archimandritam, quam adornare querelas, easque mutuare non petenti populo belgico, qui fatis, ut alii passim, à pænitentia evangelica abhorret, ut opus non sit tam altè eos ab operibus pænitiæ avocare, quam ad ea vocarunt Joannes Baptista, Christus & Apostoli, & cum sanctis omnibus S. Nilus.

